


DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
NON NVLLIS  
AD RABIE M CANINAM  
ET HYDROPHOBIAM  
PERTINENTIBVS



QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
PRAESIDE

PRORECTORE FRIDERICIANAE MAGNIFICO  
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDIC. SENIORE ET REGIOR. ALVMNOR. EPHORO,  
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,  
REGLARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.  
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. XIV. AVG. A. R. S. CLCCLXXVII.

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

CHRISTIANVS GOTTLIEB HAFFNER  
WRATISLAVIENSIS.

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

Pathol. spec.

477,26.

Vl. II.

6. Hydrophobia  
Nov 1650

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or a series of entries, though the specific words are not discernible.

V I R O  
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO  
D O M I N O  
FRIDERICO JAGWIZ  
MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO  
PRACTICO WRATISLAVIENSIVM FELICISSIMO  
MEDICO VERI NOMINIS PHILOSOPHO  
COLLEGII  
REFORMATARVM ECCLESiarVM WRATISLAVIENSIVM  
PRAESIDI DIGNISSIMO,

MAECENATI ATQVE PATRONO  
OMNI PIETATIS CVLTV AETERNVM  
DEVENERANDO,

SPECIMEN HOC INAUGURALE  
TANQVAM PRIMITIAS ACADEMICAS  
IN  
PUBLICAM ATQVE PERENNEM  
PIETATIS, OBSERVANTIAE  
AC GRATI ANIMI  
TESSERAM  
INTER FERVIDISSIMA VOTA  
PRO PERPETVITATE  
SANITATIS PROSPERRIMAE  
SACRVM ESSE IVBET

DEVINCTISSIMVS EIVS CVLTOR  
CHRISTIANVS THEOPHILVS HAFFNER.



§. I.



**M**agna semper inter Medicos fuit de morborum contagiosorum natura disceptatio. Multa ingenioque suo digna excogitarunt, ut tam specifica eorum indoles, quam modus praesertim, quo miasma sese propagat, inclareretur. Verum in tam abstrusa causarum indagatione plerumque recta via aberrant, & si sapiant, se parum vel nihil hac in re scire profitentur. Idem quoque de *Hydrophobiae* indole valet, in qua consideranda ingeniosissimi rerum perscrutatores multum desudarunt. Dolendum autem est, quod omnia, quae, ut theoriam huius morbi ex natura miasmatis deducerent, praestiterunt, aut frustranea sint, aut incerta, aut parum certe ad cognoscendam morbi indolem proficua; quum ea, quae causam morbi constituere debent, sensibus minime subiiciantur, neque vlla spes relinquatur, fore, ut modus, quo hoc miasma veneni instar in alio producat contagium, rite intelligatur. Hinc omnis hac in re certitudo non inuentione systematis callida, neque imaginatione sola absoluitur. Quas homo, veri videndi cognoscendique

cupidus, meditatur opiniones de rebus abditis, ad aliorum, quorum causam cognitam habet, similitudinem fingit. Sola tantum observationum fideliter institutarum ratione cognitioni humanae promouendae viam munit tutissimam. Qua de re eorum, qui naturae mutationibus obseruandis enixe animum intenderunt, & animi solertia rite didicerunt veras legitimasque exinde deducere veritates, vestigia insequi non dubitamus. Hinc, quantum virium nostrarum erit, ea considerabimus, quae aliena experientia comprobavit, atque sententias Auctorum hac de re colligendo, quicquid in causarum explanatione certitudinis consequi possumus, perpendemus. Faueat *Deus optimus* instituto nostro, ac ne sine nostro infeliciter destituamur, operam nostram prospere succedere iubeat!

## §. II.

Morsus *imprimis* a) animalis rabidi, immo & hominis, singularem deliriorum b) speciem inferre solet, quae *Rabies* generatim nominatur, adiecto, vt accuratius designetur, illius animalis nomine, a quo venenum profectum est. Huic *plerumque* insignis aquae, fluidorum, rerumque splendorum horror accedit, *Hydrophobiae* nomine notus, quem plurimi, absque tamen re, cum rabie ipsa confundunt. Potest enim hydrophobia spontanea existere absque rabie, & rabies absque hydrophobia. Vtrumque symptoma, vel vt aliis placeat, vtrumque morbum coniunctum iam antiquissimis temporibus existisse, Auctorum veterum documenta testantur. An HIPPOCRATI iam innotuerit morbus? non constat, vel sal-

a) Dico *imprimis*. Nam dantur casus, in quibus solos halitus animalium rabidorum nocuisse obseruatum est.

b) Ex parte melancholiae, ex parte furori & maniae accedit. Atque hinc patet, *furorem* cum rabie generatim confundi non debere.

tim nihil de hoc morbo certi ex eius libris desumi posse, plurimi fatentur. Nihil autem obstat, quo minus eodem, quo HIPPOCRATES vixit, tempore, vel in aliis regionibus, notus fuerit, imprimis cum alii ex DEMOCRITO, HIPPOCRATI coaevo, morbi descriptionem curamque eruerint. Cui & id accedit, quod in HIPPOCRATIS libris multa, quae antiquis Medicis constiterunt, desideremus. PLINIUS, ARISTOTELES, GALENUS, ARETAEVS, COELIVS AVRELIANVS, alique causas inuestigarunt rabiei, cuius historiam Scriptis suis ad posteros traducere curarunt.

§. III.

Quamquam hydrophobia plerumque rabidis animalibus debetur, fit tamen, vt & spontanea existat. Non desunt enim Auctorum loca, quae absque omni animalis rabiosi contagio hydrophobiam secutam esse confirmant. COELIVS AVRELIANVS, & AETIVS fieri posse aiunt, vt talis fuerit strictio sponte generata, qualis a veneno sine manifesta causa excite- tur. *Perillustr. van SWIETEN in Commentar. ad Aph. BOERH. Tom. III. pag. 937.* exemplum a BOERHAAVIO Auditoribus suis traditum allegat, quod ipse ille observauit, lictorem nempe, qui carnificem aliunde accessere debuerat, vt publica de scelesto homine sumeretur poena, incidisse in febrim ardentissimam, omnemque potum oblatum cum summo horrore repudiasse, tertioque demum die periisse. Subitas enim miser iste caloris frigorisque mutationes, nimiumque spirituosorum usum admi- serat. Inflammationi ventriculi accessisse hydrophobiam cum convulsionibus, *Perillustr. van SWIETEN l. cit. monet.* BOER- HAAVE hydrophobiam in acutis morbis quandoque sponte na- sci asserit. *Miscellanea Nat. Cur. Dec. III. Ann. IX. & X. Ap- pend. p. 249.* de iuvene temperamenti calidi & ficci referunt, qui, summa excandescens ira, proprium digitum indicem mo- mordit, & intra horas viginti quatuor hydrophobus factus est.

Ex

Ex sola caussa interna ortam denotarunt *Acta Natur. Curios.* Cent. II. Ann. VI. Obs. 220. & Cent. III pag. 112. *Petrus Salius* *DIVERSVS de Affect. particular.* citatus a *SCHENCKIO* in *Observat. med.* asserit, hydrophobiam a caussis internis generari posse, nullo praecedente contagio, & ad confirmandum hoc assertum mulieris triginta sex annorum exemplum adducit, quae, febre pestilentiali post XI. dies feliciter superata, dysenteriam contraxit, quae intra septem dies cessavit; febrim autem remanentem comitabatur omnium liquorum auersio, ut non solum potum simplicem, sed etiam omnia cibaria liquida abominaretur. *Anecdotes de Medicine, ex recens. Comment. Lips.* Tom. XI. pag. 55. foeminam a solo terrore omnium liquorum auersationem contraxisse, referunt. *Marcellus DONATVS* virginem quandam, quum quorundam gladiatorium certamen videret, adeo terrefactam esse ait, ut febrim cum pustularum circa labia eruptione contraheret, doloremque in latere sentiret acerrimum. Accedebant anxietas, & metus omnium fluidorum, ut lucem quoque intueri non potuerit. Confer. etiam *Commentar. Lips.* loc. cit. pag. 659. & Vol. XII. p. 652. ubi sequens notabilis extat casus: Foemina, quae undecies grauida fuerat, semper in quatuor primis mensibus grauiditatis hydrophobia maxime singulari laborabat, quae mox a conceptione horrore potus atque ciborum liquidorum, etiamsi & alii his uterentur, se manifestavit. Adspectu & murmure aquae in tremores & animi deliquia incidit, & pontem non nisi obturatis auribus, oculisque obligatis transire potuit.

## §. IV.

Neque etiam hydrophobia *morsui* semper debetur. Omnes fere, praeter *GALENVM*, (qui canibus tantum rabiem adscripsisse videtur,) alii Auctores animalium cuiuscunque generis rabidorum morsum contagium ad alios transferre posse

se



se adfirmant. Minime enim fides Scriptoribus abrogari potest, a quorum relatione virus hoc multivaria ratione infecisse constat. PALMARIUS de *Morbis contagiosis* pag. 266. citante Perillustr. van SWIETEN loc. cit. de rustico rabioso refert, quod, breui se moriturum sentiens, rogauerit, ut liberos osculari sibi liceret, qui, hoc facto, omnes septimo post die perierunt. ARETAEVS Lib. I. Cap. 7. de *Morb. acut.* halitum canis rabidi absque omni morfu, quem homo cani propinquus hausit, rabiem produxisse refert, de quo vero dubitat Perillustr. van SWIETEN, quoniam constat, *respirationem* canis rabidi in ultimo morbi statu anhelosam esse & difficilem, quae tam fortem, qua particulae venenatae propelluntur, expirationem non admittit, & licet rei possibilitatem non denegare videatur, vlla tamen obseruatione hanc rem confirmatam esse dubitat. Canis rabidus hominem inuasit, ita tamen, ut hic ne minimo quidem morfu laederetur, *spiritum tantum ex ore animalis rabidi pulmone adduceret.* Hydrophobus inde post aliquod tempus factus periit. (Conf. *Commentar. Lips.* Vol. VIII. pag. 463.) Accidit, ut quidam eo momento, dum canis rabidi occisi venter, per putrefactionem tumefactus, rumpebatur, adstaret, pessimamque mephitim hauriens post aliquot dies hydrophobus factus misere periret. (*Commentar. Lipsiens.* l. m. c. p. 469.) Caeterum contrectationem oris canum rabiosorum frequentiore, vel solum corporum hoc veneno infectorum contactum tantae fuisse efficaciae, ut hydrophobiam produxerit, multa a SCHENCKIO exempla allata declarant. PALMARIUS de *Morbis contag.* p. 267. (cit. a Perill. van SWIETEN p. 345.) ex straminis, in quod rabie perciti fues decubuerant, esu, equos, boues, oves & reliqua animalia, quae stramentum degustauerant, rabiem contraxisse, tandemque periisse vidit. Plura hic ex Auctoribus depromenda exstarent exempla hominum, qui vestium usu, quas rabiosus antea gestauerat, vel

B

ense,

ense, quo animal rabidum occisum erat, manu deterfo, in rabiem inciderant. Ex omnibus autem constat, saliuam viscidam, veneno arctius coniunctam, deficcari, nec vim Loxiam suam adeo facile amittere. In *Commentariis Academ. Scient. Paris.* P. III. p. 92. notatur, canem sanguinem lambisse, quem rabioso cani detraxerant, & exinde similem contraxisse morbum. Quo in casu saliuam deprauata mixtionem humorum omnium, similemque corruptionis contagiosae diathesin sanguini conciliare potuit. Clarius adhuc de Sartrice, vt SCHENCKIVS *Obseru. medic.* p. 547. refert, constat, illam, cum chlamydem, rabidis morfibus scissam, farciendam sumeret, & stamina ore componeret, ac lingua lamberet <sup>pauciorum</sup> futuras, tertio die in rabiem conuersam fuisse. Clariss. SAUVAGES in *Dissertatione sur la Rage* omnium celerrime hydrophobiam oriri ait, si saliuam immediate infecta fuerit, per vulnus faciei inflictum, oscula animali rabioso data, aut carnes eiusmodi animalis comestas. Parum vero ex hisce obseruationibus certitudinis colligitur. Alii enim solam rabidorum sputationem nihil damni attulisse, quamquam, ad minima quaeuis effugienda, iis, qui rabidis medicinam faciunt, manuum ablutionem Clariss. MEAD commendat. Omnis vero, quam Veterum nonnulli somniarunt, in distans actio, merito deridetur. Sola, ait celeberr. JAMES, per vulnera morfu inflicta accidit veneni communicatio, imprimis quum iram ad humorum deenerationem, celerioremq; veneni prouentum, multum facere veteres Medici asseruerint. Numquid vero satis bene?

## §. V.

Notari etiam debet, quod, licet omne rabidum animal rabiem cum hydrophobia inferre queat, tamen ad iram pro-na hac in re emineant, quod Perillustr. van SWIETEN non sine ratione affirmat. Lupi saepius, referente D. RVSSEL, rabiosi, homi-

hominibus morsum infligunt, indeque omnibus est pereundum. Perillustr. van SWIETEN loc. cit. p. 539. refert, hominem quemdam, sub finem mensis Decembris a fele in digito demorsum, hydrophobum factum esse. Neque vero quavis tempestate, neque in omnibus regionibus hoc venenum vim exserit aequalem. BOERHAAVE *Aphorism.* §. 1134. & Perillustr. van SWIETEN regionem feruidissimam vel frigidissimam huic morbo gignendo aptam habent, quam cum Veteribus, AEGINETA, AETIO, & DIOSCORIDE, communem fouent sententiam. Neque tamen silentio praeterendum est, quod D. RUSSEL ex itineribus suis de canibus refert. Vidit hos Aleppo aestate feruidissima ex putridis cadaueribus victum suum quaerentes; notat, non raro aquae vsu eosdem destitui, interea nemini incolarum innotuisse refert, quod rabiem inde contraxerint. Canibus tamen rabies maxime est familiaris (vnde etiam canina vulgo dici solet), quamuis ratio solida, a pluribus tentata, vix afferri queat.

§. VI.

AETIVS & AVRELIANVS ad morborum acutorum classem retulerunt rabiem. Aliam vero Perillustr. van SWIETEN in *Comment. ad Aphorism.* BOERHAAVI Tom. III. pag. 535. fouet opinionem, qua chronicorum morborum numero potius adscribendam esse putat, quod, licet vltima morbi periodus acutorum more aegrum tollat, post morsum tamen animalis rabiosi causa morbi iam haereat in corpore, & in quibusdam diu, antequam fierent hydrophobi, obseruata sit insolita tristitia, corporisque emaciatio. Nonne vero morborum, maxime acutorum, signa saepe per aliquod tempus praecedunt?

## §. VII.

Ex obseruationibus constat, homines ab eodem animali demorsos diuersam contagii vim esse expertos, alios hydrophobia periisse, omni licet adhibita arte, alios vero conualuisse sola naturae medela. Conf. COCCHI *Bagni di Pisa* p. 318. citante VAN SWIETEN pag. 549. Hinc multa ad vires naturae medicatrices redeunt, dum partium solidarum firmitas contagio fortiter resistit, vel ne caloris accessu cum humoribus corporis humani commixtum ad massam sanguineam deferatur, longius impedit. Temperies sicca biliosa, corruptioni subeundae tam prona, citius promouet contagii actum: e contrario in humidis serosisque subiectis altius haeret, ac mixtione demum humorum per multum temporis mutata, vi solita agit. Vnde constat, cur per vnum, & plures annos corpori illaeso inhaeserit.

## §. VIII.

Plura circa hydrophobiae originem in medium proferenda exstant; verum cum hac de re in *Dissertat. sub Praef. Clariss. b. m. MANGOLDI, Erfordiae 1765.* habita, plures obseruationes circa eandem relatae fuerint, non amplius in diuersam hydrophobiae originem inquiramus. Nostri nunc est, causam indagare hydrophobiae, quem finem vt rite obtineamus, necesse erit, vt symptomata huius morbi, & ea, quae hydrophoborum cadauera nos edocuerunt, ex Scriptorum fide dignorum relationibus comparemus, ac quas illi de causa morbi habuerunt sententias, ea, quam scopus temporisque ratio permittunt, breuitate fideliter recenseamus.

## §. IX.

Homo primo dolorem in parte adfecta sentit; vulnus tumet, aërisque accessu putredinem concipit; accedit moeror,

ror,

ror, tristitia, emaciatio corporis, praecordiorum anxietas, respiratio difficilis, prostratus appetitus, vomitus biliosi, febris, vigiliae assiduae; Viros emaciat priapismus, cum inuoluntario spermatis effluxu; accedunt intestinorum dolores; pulsus est debilis, irregularis; dolor in collo haeret leuis; nonnunquam delirium accedit; vox rauca; sitis ingens; furor ad bibendi conatum; conuulsiones ad liquidorum adspectum & contactum; aeger praesentes morfu intentat; spuma ore effluit; pulsus & respiratio deficient; rabies summa; nonnunquam mens prudente constansque manet, paucisque diebus praeterlapsis mors vitam aegrorum miserrimam auferit. Quae a BOERHAAVIO *Aphorism.* 1138. p. 550. collecta sunt symptomata, non omnia simul sumta semper adesse debent. SENNERTVS *Institut. Med.* Lib. VII. Part. III. Sect. 2. Cap. IV. pag. 427. lucis fugam, singultum, motusque conuulsuos ad talia signa refert, simulque subiungit, quod facies insigniter rubeat, sudore perfundatur, oculis toruis omnia circumspectant aegri, & canum more latrare soleant. Celeberrimus MEAD de nimia aegrorum sensibilitate mentionem facit, ac insuper addit, aegre ferre hydrophobos obiectorum impressiones in sensus, pulmonibus esse insuauem frigidum aërem. Viae vrinariae, iuxta eius relationem, in mingendo molestiam sentiunt; aquam primis quidem temporibus non timet aeger, sed sitiens poscit potum, mox vero miratur, quae possit esse causa, qua se sentit impediri, quin hauriat; tentat ope calami sugendo haurire, tentando autem suffocari se dicit. R. JAMES rabiei signis, a BOERHAAVIO allatis, singularem canum aliorum non rabidorum horrorem eorundemque auersionem ab iis subiungit; praeter primarum viarum actionem deprauatam, nauseam, perpetuamque oscitationem; pulsus plenum, contractum ac irregularem adesse notat.

## §. X.

His ergo symptomatibus consideratis, ad anatomicas sectiones nos accingamus, quae rabidorum oesophagi, ventriculi & intestinorum inflammationem saepius ostenderunt, ac simul bilem in ventriculo tenacem, eandemque in vesicula fellea nigerrimam, quod etiam Perillustr. *van SWIETEN* Tom. III. p. 537. confirmat. *BONETVS* in *Sepulchret. anatom.* Tom. I. Lib. I. Sect. VIII. p. 212. cerebrum canum rabiosorum paucis horis post mortem putridum inuentum fuisse refert; hominis autem, a cane rabido demorsu, dissectio, iuxta pag. 180. pericardium sine humore, & ex parte contumtum, sinusque cordis aridos ostendit. Dissecto Monachi cadauere, 1) nulla aderat humiditas aquosa in pericardio; 2) sinus cordis deprehendebantur aridi, & sanguine prorsus destituti; in pericardio portio quaedam fuit obseruata ferme combusta, & in puluerem redacta. In alio, hydrophobia affecto, summa siccitas viscerum reperta est, iuxta *Obs. X.* loc. citat. Celeberr. *MEAD* asserit, nihil anginosi in iis, qui demorsu sunt a cane rabido, deprehendi, dum aperta cadauera nulla inflammationis vestigia ostenderunt. *IDEM* p. 109. inquit: Dissecta cadauera ordinario exhibent, vasa cerebri distenta, sinum longitudinalem fluido sanguine plenum, cerebrum ipsum & spinalem medullam solito sicciorem, pericardii nullum liquorem, pulmones infarctos, arterias plenissimas sanguine fluidissimo. *R. JAMES* refert, in demortuis cadaueribus conspici oesophagum inflammatum, cum arteriae asperae tunica interna; bilem in ventriculo & intestinis viscidam, glutinosam, viridem; pulmones, nec non ventriculos cordis, condensato sanguine distentos. Illustr. *MORGAGNI* in egregio Opere, *de Sedibus & causis morbor. per anatom. indagat.* occasione quidem, rabie demortuorum sectiones instituendi, ipse destitutus, nonnulla tamen ex aliis Tom. I. pag. 61-63. refert. Viri, hydrophobia confecti, cada-

ver,

ver, licet sedecim horis a morte incidere, vehementer male olebat; pulmones nigri; bilis nigerrima; auricula cordis dextra valde dilatata, sinistra arctissima fuit. In ventriculis tenues polyposae conspiciebantur concretiones, quae pariter adiposae in sinibus durae matris deprehendebantur. Vasa quaecunque cerebri sanguine plena; cerebrum & cerebellum sicca potius, quam humida sanguisque magis ad concretionem, quam dissolutionem pronus videbatur. Aliud cadaver Viri, ante mensem a rabioso cane commorfi, post viginti quatuor horas a morte, feruentissima licet aestate, foetore non adeo insigni displicebat: intestina cum ventriculo aëre turgida, eiusque vasa sanguine distenta conspiciebantur. Magna hepatis pars liuida, cystis vero fellea fuscae bilis plenissima. Septum transversum quodammodo inflammatum. Pulmones a postica parte nigricabant a sanguine restitante. Sanguis ater. Gulae, quae in thorace infimoque collo sana deprehendebatur, pars suprema, & pharynx vniuersa, & larynx, & aspera arteria interiore superficie nigricabant. Uvula parua, lingua crassior, & pharynx ad posteriora nasi foramina suumque fornicem, plena spumae ex flauo virentis conspiciebantur. Vasa meningum sanguine valde distenta, interior autem cerebri substantia vndique sanguineis punctis distincta. In lateralibus ventriculis feri rubelli parum. In se-ne sexaginta annorum, ante tres menses a cane rabido demorso, qui nullum hydrophobiae signum praebuerat, nouissime autem verberibus grauioribus exceptus fuerat, omnia, quae rabiei praesentiam denotarunt, symptomata aderant, sub quibus vigesimo die exstinguebatur. Intestina aëre quam maxime distenta videbantur. Parum in ventriculo humoris crassiusculi colore cinereo. Bilis pauca. Arteriae iliaca plane inanes. Venae contra sanguine adeo fuerunt distentae, vt naturalem intestini gracilis diametrum aequarent. Pulmones  
cruo-

crucoris plenissimi, postica sui parte gangraena adfecti. Ad summum pharyngis leuis rubor, membrana autem epiglottidem inuestiens crispata conspiciebatur. Vasa quaecunque meningum nigerrimo sanguine plenissima.

### §. XI.

Satis iam, quae ad sectionem rabidorum spectant, prolata existimamus. In omnibus fere bilis corrupta aderat, & viscerum siccitas insignis; in nonnullis inflammationis intestinorum gulaeque apparebant signa; in aliis vero nulla inflammationis pharyngis laryngisque vestigia conspiciebantur, id quod Clariss. WHYTT, aliique obseruationibus prudenter institutis confirmatum dederunt. Quae adeoque omnia in symptomatum rationibus eruendis faciliorem certioreque cognitionem conciliare poterunt, prout hoc sequentia declarabunt.

### §. XII.

*Moeror & tristitia*, quae summam veneni actiuitatem praecedunt, vim vitae a veneno nimium esse adfectam ostendunt. Hinc, languentibus se – & excretionibus, *torpor*, ac ea cum hoc coniuncta *ingrata animi sensatio*, oritur. Aeger congestionibus circa pulmones obnoxius, causam admittit, quae circulum sanguinis liberiorem impedit, & respirationem reddit difficiliorem, hinc sanguis circa praecordia accumulatus mole sua resistantiam erga cor auget; hinc *anxietas summa* aegrum emaciat, quae etiam ideo necessaria est, quoniam adest *miasma*, vi vitae expellendum. Venenum ipsum magis magisque actuosum redditum, sollicitat cor, vnde nimio cum impetu circumagitur sanguis, pulsusque efficit frequentiam, sub qua *febrem* adesse dicimus, cuius tamen praesentiam non semper in hoc morbo obseruarunt Auctores. Celeberr. SAUVAGES loc. cit. p. 51. citante Perillustr. van SWIETEN p. 555. refert, puerum



puerum septem circiter annorum hydrophobum, postquam a fele rabida commorsus erat, externas corporis partes habuisse frigidas, sed simul pulsus omni modo malum, & in syncopen esse delapsus. *Petr. Salius* DIVERSVS *de Affect. particular.* quem SCHENCKIVS allegat, complures rabie tali laborantes sine febre se vidisse iam olim fatebatur.

§. XIII.

Febri aucta & omnia reliqua symptomata augentur, cum ea ipsa venenum magis actuosum reddatur, atque febris praesentia symptomata augeat tam copia, quam gradu. Non exigua sanguinis quantitas ad vasa cerebri fertur, ubi, arteriolas nimium dilatando sibi que proximiores comprimendo, sensorium commune adficit, adeo, ut ideae alienae menti obuersentur, quas nec legitimo modo iungit, nec separat; hinc omnes pereunt ideae intermediae, quibus ad iudicium ferendum animus utitur, & delirat; id quod etiam ob venenum contingit, quod lymphae commixtum, hinc & nervis adplicatum, horum filamenta inordinato motu adficit. Huius vero delirii non minima etiam causa adscribenda videtur biliosae humorum crasi, quae, accedente nimia omnium partium siccitate, fibras sensorias nimis mobiles reddit. Eadem vero non omnibus aegris symptomata competunt. Teste enim experientia, melancholici & cholericus temperamenti subiecta ad hunc morbum maxime procliuia sunt. In *Miscellan. Natur. Curios.* Dec. II. Ann. VI. p. 455. refertur, virum plebeium, quadraginta annorum, melancholici temperamenti, pectoris magnam habuisse anxietatem, postea coepisse liquida quaeuis auerfari, adeo, ut motus convulsiui cum potus adsumptione coniungerentur. SCHENCKIVS ex *Salio* DIVERSO *de Affect. particular.* refert, in rabiosis nonnunquam nullum extitisse delirium, verum potius petisse aegros ab ad-

C

stanti-

stantibus, ut aquam ori suo vi infunderent, ne e lectis suis ad aliquem mordendum exsilirent. Inde ergo constat, delirio continuo neque semper adfici aegros, neque vno eodemque semper gradu, quod, notante Perillustr. *van SWIETEN*, rubor faciei maior, oculorum immobilitas, distorsiones musculorum faciei, plerumque praecedunt.

#### §. XIV.

Saliva in ore haeret spumosa, qua aeger conspurcare intendit adstantes, cumque illa adeo facile miasmatis actioni pateat, hinc corrupta in rabie existat necesse est, quam corruptionem imprimis etiam bilis facile inire debet, cum adeo ad putredinem proclivis sit. Stagnando haec putridum, rancidum, acerrimumque contrahit amarorem; quibus succis deprauatis *appetitus prostratus* necessario oboritur. Dum aeger nihil fluidorum ob hydrophobiam deglutit, omnia deglutitioni inferuentia *organa exsiccantur*. Deficientibus ad lubricationem necessariis humoribus, aëri mirum in modum transitus praeccluditur, vel potius inaequaliter motus suos exserit. Arteriolae vel nullam, vel paucissimam pro humectatione ex suis extremitatibus praebent materiam: unde nascitur *desiderium istud vebemens ad fluida capienda*. A natura iste stimulus inditus est, ad eam, quam corpus aegre fert, molestiam imminuendam. Non mirandum igitur est, quod, aucta pharyngis laryngisque siccitate, *fitis summum* furorem quasi induat, ad quam augendam bilis putrida multum confert. Aeger *noctes insomnes* agit, quas anxietas, delirium, febris, ac congestiones frequentiores ad cerebrum producant. *Sudor perpetuus*, idemque *frigidus*, ab humorum resolutione, quam intulit venenum sub initium, & spasmo peripherico ortus, ad aegrum *emaciandum* multum omnino facit, quamvis illam emaciationem defectus boni nutrimenti, ipsaque veneni praesentia

sentia

sentia non minus necessariam reddat. Accedit vomitus, quem massa acris atrabilaria excitat, fibras ventriculi nerveas musculosasque irritando, hinc motu ventriculi peristaltico peruerso omnis ad oesophagum propellitur massa biliosa, quae nonnunquam mole tanta in primis viis haeret, vt fere omnem superet fidem. Clariss. THIERY refert, aegrum in febre biliosa plus quam centum libras materiae biliosae per aluum eiecisse, euacuantia nihilo minus fuisse adhibita, postea accessisse hydrophobiam, quae, viribus demum restitutis, ipsa euauit. Eadem vomitus biliosi causa, & *singultum* adeo vehementem promouet, qui in nonnullis conspicitur. Quae ventriculi actionem nimium intenderat materia acris, simul per consensum diaphragma irritat, cuius irritationi glottidis iuncta est coarctatio, vt subito inspiratus aer sonnum cieat. Plures tamen singultui excitando causae concurrere possunt. Primo nempe in ventriculo latet materies, a veneno corrupta acidobiliosa. Laryngem non raro inflammatione adfectam videntur Anatomici, quae inflammatio per se huic symptomati ciendo sufficeret. Accedunt animi pathemata, tristitia imprimis, quae systema ueruosum stimulando fibrarum constrictionem excitant. Ipsa demum naturae molimina, quae circa materiae corpori adeo noxiae excretionem adhibentur, vires corporis humani eo dirigunt, vt se onere ingratissimo exoneret. Hinc attendendo ad causarum varietatem & vehementiam, nihil est, quod *conuulsiones* cum singultu & ructibus coniunctas miremur. Qualis igitur in tam peruersa virium motricium actione ingestorum concoctio fieri potest?

§. XV.

Quam R. JAMES obseruauit *oscitationem perpetuam*, symptoma est, quod vel ab irritatione systematis neruosi, qua, per consensum neruorum in ventriculo ac diaphragmate, ab

acri orta constrictio musculos irritat, vel a naturae conamine proficiscitur, ad materiam acrem & stagnantem, sibi adeo molestam, remouendam. Per se patet, materiem hanc acrem efficere intestinorum *grauissimos dolores*, quod fibras nerueas musculofasque spasmis adficit, qui ad alia loca transferuntur. Hinc & vesicae collum afficitur, vnde aegri *urinam paucam frequentius mittere* conantur. Nonnunquam membri genitalis erectio inuoluntaria ab acri, quod in systema neruosum agit, vel a neruorum per consensum agentium irritata actione, oritur. Iam a *Coelio AVRELIANO*, de *Acut. morb.* Lib. III. Cap. XI. citante. Perillustr. *van SWIETEN* pag. 556. inter symptomata huius morbi relata est veretri frequens tensio cum feminis inuoluntario iactu. *LISTERVS & MEAD* priapismum hoc in morbo obseruarunt.

#### §. XVI.

Vnicum adhuc superest symptoma, quod a Perillustr. *van SWIETEN*, aliisque pro signo morbi pathognomonico habetur, horror scilicet iste singularis a fluidis, qui omni nostra attentione dignus videtur. Plurimi veterum Medicorum in causa huius symptomatis euoluenda ad *saluam deglutitam* prouocant. Primis quidem morbi diebus aegri adhuc ferunt fluidorum potationem, eorundemque copiam ingentem sibi praeberi postulant, postea tanto fluidorum omnium odio tenentur, vt vel nomen aquae auditum conuulsiones excitare queat. E contrario offas solidas impune deglutiunt, quas vero, cum saluae immiscentur in ore collectae, neququam deglutirent, si causa aquae metus sola in salua deglutita haereret. *Petrus Salius* *DIVERSVS* p. 349. putat, ideo abhorrere aegros omnia liquida, quia perceperunt, se a liquidis assumtis pessime habuisse, qua propter Perillustr. *van SWIETEN* iure meritoque falsam duxit hanc opinionem, dum primo morbi  
initio

initio aegri fluida assumunt facillime, postea vero mirantur, quod potum, qui antea sibi placuerat, nunc horreant.

§. XVII.

BONETVS *Sepulchr. anatom.* Tom. II. pag. 748. ait: Contingit quoque, solida facile, liquida vix deglutiri, cum glandulae gulae extrinsecus appositae intumescunt, quod solida comprimendo viam vi sibi faciant, liquidiora autem fungosam substantiam magis impleant: item conuulsis musculis hyoideis, quia tunc sursum erigitur larynx, vnde remeat in os cibus liquidus, solida pondere delabuntur, tremulo anxioque quodam motu. MEAD opinionem BONETI amplexus est, atque epiglottidem potentius, ait, quam a fluido corpore, premi, hinc vi partium deglutitioni interuentium conuulsionibus sufflaminata, pars fluida irreptabit in asperam arteriam, vt extemplo suffocatio sequatur. Reiicitur haec sententia, si consideremus, eam solam deglutitionis, aut assumptionis difficultatem, minime vero metus & horroris causam ostendere. FRACASTORIVS in imaginatione aegrorum fundatam existimat causam, quoniam, cum spumam ante os conspicerent, ideam liquidi eos extinguentis animo sibi fingerent, vnde formidinem exortam esse putat, quoties vel videant, vel audiant liquida sibi offerri. Verum ea, ex qua symptomatis ratio deducitur, non omnibus semper inest imaginatio. In nonnullis enim maxima est appetentia fluidorum, quae, dum pro vnico salutis suae restaurandae remedio habent, vario modo insugere tentant. In SCHENCKII Observationibus prostat exemplum, vbi eiusmodi aegrotus cereuisiae, quam valdopere appetebat, neque vero bibere poterat, odore reficiebatur, neque cereuisiam, quam se adhuc gustaturum esse adfirmavit, a se remoueri permisit.

## §. XVIII.

Explosa est ea Veterum sententia, qua, aegros in aqua conspicerere catulos, sibi imaginabantur. Ex illorum numero est AETIVS, quem *Petrus Salius* DIVERSVS de *Febr. pestil.* citante Perillustr. van SWIETEN p. 554. sufficienter refutat, dum ab aegris, quos percontatus erat, nihil tale sibi videri respondebatur. Neque recentiorum vllus hanc opinionem secutus est, licet SENNERTVS in vrina aegrorum catulos conspici falso crederet. Prior si sententia staret, aegri forte aquam obrectam, quam non adspicere valent, siphonum ope sumerent, quod vero cum obseruationibus minime congruit. Idem Auctor de *Affect. particul.* citante SCHENCKIO p. 849. aegros, ait, liquida auersari omnia, ob laesionem, in internis partibus ab eis assumtis vel oblatis excitatam, indeque concludit, timorem istum esse rationalem. Quamuis autem haec ad nostram de hydrophobia causam aliquo modo propius accedere videatur; minime tamen praefatus Auctor suam hac de re sententiam satis distincte proponit.

## §. XIX.

Ex relatione eorum, quae sectio anatomica docuit, patet, in hydrophobis nonnunquam adfuisse organorum deglutitionis inflammationem. Inde factum est, vt huic atque anginae causa hydrophobiae adsignata fuerit. Verum nullam se vidisse in his partibus inflammationem, MEAD asserit, cui & Perillustr. van SWIETEN facile adsentitur. Atque inflammatio si adfuerit, non tam pro morbi causa, quam pro effectu habenda erit, quod & Perillustr. van SWIETEN innuit. Aeger enim, vt ex historia morbi constat, fluida cum horrore maximo abominatur, eiusque corpus valde sudat; hinc omnis in eo residens humor per vasa cutanea abit, &, particulis crassioribus relictis, siccitas generatur, in qua ratio latet, cur laryngis

ryngis musculi, omni ad lubricationem necessario fluido destituti, nimium adficiantur. Hinc acris a miasmate reddita salina, fibras musculares irritando, nimiam excitat doloris sensationem, qua posita congestiones ad partem irritatam fieri certum est: unde omnium arteriolarum distensio, particularumque sanguinearum plenaria stasis & inflammatio producantur, necesse est. Hinc Perillustr. van SWIETEN Tom. III. §. 1140. p. 562. notat, in illis, in quibus morbus per plures dies durat, inflammationem observari circa deglutitionis organa, in reliquis non adeo. Certum enim est, aegros in morbi initio de nullo conqueri dolore, quem tamen inflammationem praecedere debere ex principiis pathologicis omnino constat.

§. XX.

Quod eos attinet, quibus placuit pro causa prima morbi anginam assumere, his, quae diximus, opponi possunt. Multa quidem anginae similia hydrophobiam comitantur symptomata; at nulla vera sine faucium inflammatione notatur angina; in hydrophobia autem, tam in faucibus, quam in collo, plane nulla praeter naturam mutatio observata est. Et licet fluidorum difficilis deglutitio anginae symptoma constituat: tamen non solum experientia docet, sub angina difficilius plerumque solida deglutiri, liquidis interea facilius descendentibus, sed certum etiam est, *horrorem* fluidorum proprie non adesse, sed *difficultatem* potius deglutitionis. Angina quidem, teste SYDENHAMO, a calore, intensum frigus subito excipiente, plerumque oritur; conceditur quoque, rabiem, ut supra adnotavimus, exinde oriri posse, neque tamen haec causa morbi est sufficiens, dum alias saepius, quam quidem fieri solet, hydrophobia occurreret. Accedit huc, quod, SYDENHAMO monente, febris pro morbo anginae primario habenda

benda

benda sit, & reliqui adfectus, a quibus nomen mutuatur morbus, tanquam symptomata, a materia febrili & a modo criseos dependeant. Attamen ex Auctorum observationibus constat, febrem in hydrophobia saepius nullam adesse, licet hac praesente, symptomata grauiora morbus subeat. Hinc causarum pariter, ac symptomatum varietas prohibet, quo minus symptoma illud hydrophobiae pro angina reputare queamus.

## §. XXI.

Cum ex supra allatis rabidorum sectionibus anatomicis constat, in plurimis ingentem in ventriculo bilis flavae & viscidae copiam adfuisse, non defuerunt Auctores, qui causam proximam morbi ad eandem retulerunt. Certe plura sunt, quae rabies, cum hydrophobia coniuncta, cum morbis biliosis communia habet, scilicet ciborum fastidium, dolores, intestinorumque tensiones, singultus, lingua arida, fitis, agrypnae ac vigiliae continuae, deglutiendi difficultas, vomitus biliosi, mentis alienatio, pulsusque debilitas ac inaequalitas. Neque tamen ex his apparet fati, bili corruptae hydrophobiam adscribendam esse, licet fatendum sit, bilis acrimoniam ad morbum grauiorem reddendum multum facere. Eandem enim bilem deprauatam obseruarunt cum animalium aliorum moribus coniunctam, ita vt etiam plura morbo nostro similia phaenomena occurrant. Scorpionum morsus febrim leuiusculam cum linguae tumore excitat. Aranea Democulo, in Insula Ceylon, morsu suo quidem mortem, non vero rabiem producit. Serpens, cognomine Dipsas, sitim efficit inexplebilem. Viperarum morsus excipiunt affectiones ventriculi grauissimae, vomitus biliosi, abdominisque dolores, circa vmbilicum pariter, ac hepar haerentes. Aranearum venenum abdominis tumores cum intestinorum flatibus producit. Nullum vero in his omnibus hydrophobiae vestigium occurrit, vnde a simili effectu



effectu ad similem in casu alio causam concludere nobis licet. Atque quis etiam existimauerit, hoc adeo insigne rabiei symptoma, scilicet aquae metum, a bile ista acri dependere? Cur non in febribus biliosis idem apparet, in quibus bilem corruptam omnium hominum corpora pessime affecisse experientia docuit? Vel si ad bilis acrimoniam neruorum affectiones gravissimae referantur, cur non omnibus rabie correptis symptoma istud contigit, licet eandem bilem vitiosam in corporibus latuisse sectiones probauerint? Hinc longe aliam esse hydrophobiae causam, quam quae ex miasmate bilioso ab Auctoribus quibusdam deducitur, merito concludere licet.

§. XXII.

Perillustri *van SWIETEN* aquae metum, siue horrorem a fluidis, pro symptomate rabiei pathognomonico habuit. Hinc praesente hoc symptomate ad rabiei praesentiam concludit, & in iis casibus, in quibus Scriptores rabiem existisse existimauerant, nullam adfuisse ex eo asserit, quoniam aquae metus non apparuit. Verum ipse Vir Perillustri nonnunquam fluidorum aliquam portionem sumere aegros posse, subsequen-  
tibus licet conuulsionibus, fateretur. Hydrophobus enim ille, cuius meminit Clariss. *SAUVAGES* pag. 12. citatus in *Comment. in BOERHAAVII Aphorism. §. 1138. pag. 555.* sensit, se non posse ferre adspectum aut attactum aquae, quum scyphos eluere vellet; iusculum tamen oblatum adhuc deglutire potuit, sed cum molestia. *MEAD* pag. 112. hydrophobiam non semper adesse refert, simulque addit, se ab alio Medico doctissimo audiuisse, quod viderit tres eodem anno aegros, qui solito tempore intra triginta circiter aut quadraginta dies ab accepto vulnere passi sunt omnia rabiei symptomata, & tertio die fatum obierunt; praeter illa vero nullam adfuisse difficilem deglutionem, nec vlla etiam signa aquae formidinis.

D

*Richard.*

*Richardus* JAMES in *Traët. de Rabie canina* (*Commentar. de reb. in Scient. natur. & Medic. gest.* Vol. XI. Part. III. pag. 480.) exempla sibi nota esse scribit, animalium pariter ac hominum rabidorum, quibus hydrophobia non superuenit. Canem iam rabidum nihilo minus lambisse lac, alium traiecisse per aquam; hinc esse cauendum, ne propter huius symptomatis defectum rabiei absentiam aliquis praefagiat.

### §. XXIII.

Rabies canina videtur primo, inquit BOERHAAVIUS (loc. cit. §. 1142.), consistere in affectione neruorum, proxime referenda ad conuulsiones, quae viscera, horumque vasa occupant; — — — sedem vero mali primum circa stomachum & vicina haerere. Videtur ergo BOERHAAVIUS hydrophobiae causam in his conuulsionibus quaesuisse. Quod confirmatur, si considerentur, quae Perillustr. Illius *Commentator* adiecit. Hic certe difficilem saltem potulentorum deglutationem ab oesophagi conuulsione deducit (loc. cit. pag. 567.). Videntur enim, inquit, quaedam ex numerosis deglutationis organis seruire imprimis liquidorum depulsioni per oesophagum in ventriculum, unde his conuulsis impossibilis fit liquidorum deglutitio. Verum hac ratione sola in deglutiendis fluidis obseruata difficultas explicatur, quae, vt facile patet, ab horrore fluidorum, qui ad animum redit, atque conuulsiones istas inducit, diuersa est. Obseruatur quoque iste horror non solum, si fluida deglutienda sint, sed etiam a motu eorum percepto. Quid? quod sola aëris inspiratio nonnunquam horrendis symptomatibus afficit aegros. Numquid haec ex primarum viarum conuulsione satis congrue deducere licet? vix crederem.

### §. XXV.

§. XXIV.

His ergo praemissis ad eam sententiam accedam, quae propius mihi a veritate abesse videtur. Hydrophobus horret, quod manifestum est, fluida deglutienda absque eo, ut aliqualem rationem horroris, quomodocunque etiam attendat, assignare queat. Concludimus hinc, causam quidem huius horroris in anima, eiusdemque facultate appetitiva, latere, sed ea maxime, quae inferior vocatur, cum superior hominem motius dirigat, quorum conscius aut est, aut esse potest. Quoniam autem hydrophobiae causa remotior in corpore mutato quaerenda est, nervi vero ea demum sunt instrumenta, quibus, ad mutandam animam, utitur corpus animale, sequitur causam hydrophobiae proxime in ea nervorum affectione latere, qua fieri potest, ut sensorium commune tali afficiatur motu, qui excitandae facultati animae appetitivae ad abhorrenda fluida par est. Nondum quidem ex his vera hydrophobiae origo constat; constabit tamen, si, iactis his fundamentis, nervorum mutationes, quae istum animi impetum efficere possunt, paulo exactius inquiramus.

§. XXV.

Mutationes, quae nervis accidunt praeternaturales, sunt torpor, nimia & alterata sensilitas. *Torpor nervorum* ponit imminutam nervorum actionem, seu quod idem est, eam systematis nervei conditionem, qua, ad motis etiam paulo fortioribus stimulis, vel plane non, vel saepe insufficienter sentit. *Nimia sensilitas* diiudicatur ex nimium intensa systematis nervei actione, atque consistit in ea nervorum facultate, qua, leviores etiam stimuli adplicati, valide vim sentientem excitare valent. *Alterata tandem sensilitas* eam sibi nervorum affectionem vindicat, qua fit, ut a stimulis non ea ratione irritentur, sicuti in statu sanitatis fieri solet. Si, ut in peste & vertigine

tigine nonnunquam contingit, variegati colores absque externa causa conspiciantur, neque aucta proprie, neque imminuta est sensatio, sed *alterata*, cum colores tunc rerum, vel si maus, radii luminare alia, quam naturali ratione, in retinam agunt. Alienata haec sensilitas non raro quidem cum aucta connexa existit, ipsique natales suos debet: fit tamen, ut & absque illa in corpore humano deprehendatur. Hypochondriaci & hystericae nonnunquam, notante Celeberr. *WHYTT*, cibos duriores facile, molliores difficillime ferunt. Quis auctam sensilitatem hic accusabit, indeque praedictum phaenomenon deriuabit? Eadem alias torpori debetur. Sic v. gr. paralytica oculi debilitas visum mutat, ita, ut multiplicata obiecta videant aegri. Quare cum alienata sensilitas alias modo auctae, modo imminutae sensilitati adscribenda sit, alias sine utraque existat, quod hypochondriacorum allatum exemplum docet, utriusque inde patet, eam a torpente & aucta sensilitate iure meritoque distingui.

### §. XXVI.

Hydrophobia debetur praeternaturali nervorum mutationi (§. XXIII.), hinc vel torpori, vel nimiae, vel alienatae sensilitati (§. XXIV.). *Torpori* certe non debetur, cum omnia phaenomena doceant, in rabie canina non imminui, sed augeri potius sensilitatem; ipseque horror doceat, actionem nervorum minime torpere. Numquid ergo auctae sensilitati? Ita certe videri posset, cum & omnia auctae sensilitatis signa in faucibus, oesophago, naribus, oculis, cute atque auribus adsint, & ex illa genesis hydrophobiae satis convenienter explicari queat. *Soli* interea auctae haec sensilitati vix assignare ortum hydrophobiae possumus, cum solida satis facile per fauces ferantur, quod, si solam auctam sensilitatem tamquam causam hydrophobiae ponimus, contradictionem

nem

nem parit. *Alterata* itaque *neruorum sensilitas* pro causa huius phaenomeni haberi debet, i. e. ea neruorum affectio, qua fit, vt fluida, *quauis ratione* in neruos suam exferentia actionem, perferri nequeant. Nunc facile largior, me istam neruorum affectionem vltius determinare non posse. Sufficit generalem hydrophobiae causam cognouisse.

§. XXVII.

Hac posita causa, ad quaesita facilis est responsio. Anima nostra solet saepe saepius abhorrere, quamuis valde obscura ratione, ea quae corpori inimica sunt. Nonne, quibus putrida materies ventriculo inhaeret, cibum animalem horrent, acida appetunt? Nonne quos sitis torquet, frigida, acida appetunt, salia & calida horrent, saltim reiciunt, aut minus appetunt? Cum ergo hydrophobi nerui ita mutati sint, vt fluidorum actionem ferre nequeant (§. anteced.): horror certe eorum, vel nomine etiam audito, mirandus non est. Constat quoque, auersationes, quae obscuris ideis debentur, fortiores esse iis, quorum motiua distincta ratione cognoscimus. Nemo ergo mirabitur, horrorem hydrophoborum tantum esse, vt conuulsiones cieat, quibus etiam fit, vt deglutitio fluidorum impossibilis euadat. Mitto alia phaenomena hydrophobiae, quae ex praedictis facile cognoscuntur c).

§. XXVIII.

Ad *Curationem* tandem rabiei caninae peruuenimus, ad quam tollendam Medici multa, licet incassum saepe, tenta-

D 3

runt

c) Hanc autem causam hydrophobiae fere iam protulerunt celeberr. Viri WHYTT & JAMES, quamuis auctam potius, quam alteratam sensilitatem accusare videantur; atque neruos faucium & oesophagi tantum considerent, cum haec tamen loca non sola sint, in quibus hydrophobiae sedes assumi debet.

runt. Omni proinde iure de rabie canina dici possunt, quae Clariss. DEGNERS habet: *Multi morbi maiores sunt omni arte & remediis.* Sequentes interea in ea curanda attendi merentur indicationes:

- I. Si rabies canina a vulnere inflictio pendeat, tunc ea, quae virulentum miasma e parte affecta educere & corrigere possunt, statim, & quam celerrime fieri potest, adhiberi debent.
- II. Si a contagio quidem, absque tamen vulneratione, enata sit, venenum corrigentia, euacuantia, & ad cutem deducta in usum trahantur, quae etiam tunc requiruntur, quando in casu num. I. rabies iam producta est.
- III. Si a causa interna oriatur: morbus primarius tollendus erit.
- IV. In omni demum rabie canina inflammationi occurratur, regimen congruum commendetur, atque eo respiciatur, ut neruorum motus aliunde dirigantur, cauteque sopiantur.

### §. XXIX.

Ut primae satisfiat indicationi: Pars morfu vulnerata conuenientem chirurgicam tractationem requirit. CELSVS Lib. de Medicina p. 307. cucurbitulam admouendam commendat, vulneris adustionem Tuadet, postea Venaesectionem subiungit, & aegrum balneo committit. MEAD vnguentum basilicum nigrum, addito pauco Mercurio praecipitato rubro, pro digestiuo commendat, ut & Venaesectionem in brachio ad uncias jx. vel x. Celeberr. BOERHAAVE §. 1143. scarificationes loci affecti profundas, Venaesectionem, inustionem vulneris, cum suppurationis promotione commendat. HEISTERVS, in Chirurgia minori germanice edita p. 32. sanguinem ex loco affecto exprimi, vulnusque aqua salina, vel aceto ablui iubet, vulne-

vulneris demum iustam deligationem, atque impositionem emplastri de ranis cum Mercurio, iuncto Diachylo, ad virus suppurando e corpore submouendum, commendat. Clariss. TISSOT largam, si aeger plethoricus fuerit, Venaesectionem suadet, itemque partium morfu affectarum discissionem, vulnerisque cum aqua salina tepida ablutionem, ac dein unguento ex Mercurii depurat. vnc. j. Terebinth. Venet. drachm. j. & dimid. Pingued. porcin. recent. vncis ij. labia vulneris sollicitè iungi iubet, quod cum unguento Basilico alternatim mutat; partibus autem sanis, vulnere proximis, oleum Oliuarum cum Camphora & Opio solutum adplicuit.

§. XXX.

Transcramus ad *secundam indicationem*. Hue plura faciunt: Clysmata nempe, pediluua, frictiones pedum, vesicatoria ad lumbos & suras adplicata, item aluum laxantia, diuretica & diaphoretica, quibus demum specifica dicta accedunt. Ex BOERHAAVI mente Rheo, Agarico, succo corticis Sambuci, aluus saepius ducatur, singulis diebus matutino tempore aeger ieiunus parum sudet, assumpto aceto aromatico, sale marino, aqua calida, quotidie pedes manusque balneo aquae foueat, caput lauet, ac os faucesque colluat. Clariss. TISSOT pediluua maxime commendat, aluum laxari, & tertio semper die puluerem ex Cinnab. nat. & factit. ana gr. xxiv. Mochi gr. xvi. probe mixtis, vel holum ex rad. Serpentar. Virgin. drachm. dimid. Camphor. Aëae foet. ana gr. x. Opii gr. vi. Rob Sambuci q. s. praeberi iussit. Adhaec accedunt Clysteres emollientes, quos omni die applicari voluit. CELSVS loc. cit. ad diaphoresin promouendam vini vsum commendat. GALENVS Lib. II. de simpl. medic. facult. cineres flauiatilium cancrorum tanquam praestantissimum remedium laudat, cuius vsu nemo mortuus esset. Ipse SENNERTVS *Institut. Medic.*

Lib.

Lib. II. P. III. Sect. II. Cap. IV. pag. 427. pulveri cancrorum combustorum singularem effectum in hoc morbo tribuit, cui etiam MEAD loc. cit. pag. 219. vtilitatem suam non denegat. BACCIVS de Venenis pag. 89. ex RHAZIS & Ioh. DAMASCENI auctoritate commendavit cantharides integros, in lacte ebutyrato per 24. horas infusos, siccatosque in trochiscorum formam redactos dein ad scrup. j. per aliquot dies continuos assumendos. Neque recentiores ab hisce prorsus abhorrent, pulverem Cantharidum ad gr. i-ii. diureticis admiscendo. Calida enim exsicantia minime conducunt, vel vt admodum prouide adhibeantur, necesse est. Hinc ad effectum Cantharidum vehementiorem imminuendum copiam lactis assumendam curarunt Medici; verum in hydrophobis potu copioso adsumto haec acria non posse dilui & eneruari, per se iam constat. Omnibus vero aliis remediis palmam praeripere videtur Mercurius, quem in hydrophobia curanda specificam quasi efficaciam exferere, multa recentiorum experimenta feliciter instituta docuerunt. Hinc argentum viuum, eiusque praeparata, multum interne praestitisse constat. *Richardus JAMES* in Tract. de Rabie canina (Vid. Commentar. Lips. Vol. V. Part. II. pag. 331.) credidit, morbum hunc grauissimum saltem, vbi primum gradum non excefferit, Mercurio, siue saliuam moueat, siue non moueat, cedere. Turpethum minerale ad gr. iv. cum scrupulo j. rad. Contrayerv. & Theriac. Androm. pauculo, in boli forma, somnum, sudoresque largiores cum magna vtilitate produxit. Neque Mercurium tanta copia, aliisque, quae ad saluationem promouendam spectant, praemissis conditionibus, aegro nocuisse, complura Medicorum confirmant testimonia. Cum miasma vasculis C. H. minimis tam firmiter inhaereat, nullum vero aliud ex suppellectile medica tam efficax remedium fortiter resoluendo agens Mercurio substitui possit, nihil est, quod, dum,



dum ad hominum salutem ita concurrat, nos mouere possit, ut ab eius usu timidi abstineamus. Mercurii vis, qua saluam promouet, dependet a tenuitate eius particularum, adeo, ut easdem in corporibus solutas Medici solliciti frustra viderint. Hinc mirum non est, quod canaliculos, quorum summa angustia globuli sanguinei introitum non admittit, facile permeet. Accedit, quod, ubi ad vasa minima penetrauerit, eius actio longe praestantior sit, dum vasculum ambitu fere toto suo in mercurii globulum agit, eumque maxima simul celeritate mouet. Immo & grauitas Mercurii celeritati promouendae multum fauet; hinc per vasa cito transit, fibrasque ad motum citatiorem sollicitat. Quum ergo in omnibus morbis, in quibus cacochymia humorum spissa praeualuit, effectum adeo insignem produxerit Mercurius, omni quoque iure in hoc morbo in usum vocari poterit, quem ex parte ad melancholiae speciem referri posse, supra ostendimus, si modo iusta subiectorum, quibus Mercurius tuto praebere potest, & methodi eum exhibendi, habeatur ratio. Verum cum haec, quae circa Mercurii usum legitimum obseruanda sunt, neminem Medicorum fugiant, merito eadem sicco transire licebit pede.

§. XXXI.

Missis *tertia indicatione*, quae vix cum fructu generatim & breuibus expendi potest: ad *quartam* accedo, cuius intuitu, praemissis remediis antiphlogisticis, repentina in aquam immersio, ab Auctoribus commendata, nobis occurrit. Iam antiquissimis Medicorum haec methodus medendi constitit. CELSVS Lib. *de Medicina* loc. cit. accedente hydrophobia vnicam spem esse ponendam, ait, in aquae immersione

E

fione

fione inopinata, vnde simul & sitis, & aquae metus tolleretur. TVLPIVS *Observat. med.* pag. 39. sanat, ait, mare quoscunque, si tempestiue adhibeatur. HELMONTIVS in Capitulo: *Demens idea*, §. 47. senem hydrophobum se vidisse refert, antennis navis cuiusdam alligatum, quem nauta, se praesente, in mare dedit praecipitem, vnde aquae immersione semel atque iterum repetita senex postea rabie liber reuixit. Nautam, ait, esse testatum, omnes hydrophobos sic sanari posse. Clariss. MEAD loc. cit. pag. 127. duas, ait, se habere BOERHAAVI epistolas, in quibus iussit per non exiguum tempus in caput aegri effundi frigidae amphoras, & quatuor vicibus clysterem ex aqua calida iniici, addito oxymelle simplici & sale marino; vnde commode dein bibit aeger cereuiciam tenuem, & decoctum flor. Altheae, Sambuci & Tamarindorum. In alio casu BOERHAAVIUM nitrosa, acetum & aquam rosar. adhibuisse scribit, nec non capitis linimenta, & pediluua, ex aqua calida, aceto & sale, aegrumque, referata aluo cum Tamarindis, syrupo Violarum, frequenti iniectione clysteris ex aqua & nitro, continuoque vsu Limonium cum pauco Saccharo, conualuisse. Nihil vero refert, an aqua marina vel salibus mixta adhibeatur, modo frigore subito mutatio quaedam fortior in corpore excitetur, quae imprimis a nimia frigidae in systema neruofum impressione dependere videtur: vnde sensilitas neruorum oesophagi & colli aliquo modo tollitur, vel saltem imminuitur. (Confer. clariss. WHYTT *Beobachtung über die Natur der Neruen-Krankheit* pag. 351.). Metus, terror, & attentio, vel affectus animi fortior, conuulsuos motus ac spasmos saepius mitigant, immo, remediis aliis frustra adhibitis, non raro tollunt. Praeter haecce allata, ea quoque huc referenda sunt remedia, quae vi sua soporifera sensilitatem systematis neruosi

uosi

uosi nimiam imminuunt. Hinc cum hydrophobia pro vehemēti oesophagi ventriculique affectione spastica habenda sit, Opium forsitan, vt clariss. WHYTT loc. cit. scribit, in largiori dosi adsumtum, imprimis si sub clysterum forma adhibeatur, palliatium aliquem effectum exserere posset. Idem Vir celeberrimus exempla adiecit, in quibus Opium in pilularum forma, iuncto vsu interno aliorum remediorum, externeque emplastro ex Galbano cum Opio, oesophago superimposito, opinione citius sanitatem restituit. Anne vero & Cortici Peruuiano in hydrophobia locus concedi poterit? cum eius in systema neruosum actio tam insigniter pateat. Clariss. TYSSOT hydrophobis debilioribus mericalosisque quotidie vsu eiusdem ter repetendum, vnciam nempe vnam in VIII. partes diuidendo, commendat, cui & celeberr. WHYTT loc. cit. pag. 355. adsentitur.

§. XXXII.

Quod demum ad regimen indicationis quartae spectat, huius intuitu victus sit tenuis, ad transpirationem lenem promouendam motus exerceatur muscularis, alui & vrinae liber conseruetur successus, caueat sibi ab omnibus calefacientibus, animique pathematibus & nimio corporis motu; e contrario autem aromata blanda, sufficiente copia aquae diluta, teste Perillustr. van SWIETEN, prodesse possunt, quatenus perspirationem auctiorem reddunt. Imprimis aegro metus iste, quem ex aquae formidine capit, omni modo sensatione fortiori supprimatur. Haec sunt, quae de hydrophobiae natura eiusque curatione instituenda notanda duxi. Reliqua, quae ab Auctoribus commendantur, specifica, atque alia in litteris publicis sparsim occurrentia allegare, non  
huius

huius loci est, imprimis cum plurima vltiorem Medicorum prudentiorum explorationem adhuc desiderent. Forte cum successu temporis certius aliquid adhuc, pro tam noxio, tamque exitiali hominum morbo tollendo, fauente diuina gratia, in miserorum solatium detegi posse, sperandum est.

## TANTVM.

